

## Advertencias para

Bullæ. §. 9. nu. 69. & 70. & in additionibus ad. §. 9. nu. 62. fo. 117. & sequentibus ubi refert notabilem illam clausulam [Nisi etiam hi casus in eis præsentibus literis expressi, comprehendantur] quam Bullæ Cæne Domini addiderunt Sixtus. 5. & Clemens. 8. De qua videatur idem egregius auctor in eisdem Additionibus, fo. 119.

¶ Sed cum crimen Hæresis sit primus casus contentus in Bulla Cæne Domini, merito dubitatur. An Prælati superiores ordinum Medicantium qui possunt absolvere suos subditos à quibusvis casibus [etiam cõtentis in Bulla Cæne Dñi] possint etiam eos absolvere à crimine Hæresis? Nã Cõfessores idonei possunt absolvere suos penitentes habentes Bullã Cruciate ab omnibus casibus contentis in Cæna Domini, excepta Hæresi, vt patet in Bulla originali promulgata anno Domini. 1584. fr. Emanuel To. 1. qq. regularium. q. 20. art. 10. dicit, quod licet videatur, quod dicti Prælati possunt absolvere in foro cõscientiæ suos subditos à crimine Hæresis, dummodo non sint hæretici relapsi, iuxta declarationem Sixti. 4. Clementis. 4. & Iulij. 2. de quo supra verbo Absolvere, & Absolutio. §. 1. fo. 120.